



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1566 usque ad annum 1572

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1772**

**VD18 90118634**

§. 37. Pontificis consilium de extirpando Humiliotorum Ordine.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67213](#)

SÆCUL. XVI.  
A.C. 1570.

gruum censeret, libere præcipere velit, ac de plena eorum submissione certus esset: unde ipsius sanctiones cum ingenti gaudio exceptæ, ac cum majori adhuc promptitudine effectui fuerunt datae. Insuper omnia Ecclesiastica jurisdictionem concernentia componens rectam regiminis formam in tribus hinc vallibus, quæ sacræ ejus jurisdictioni erant subditæ, introducebat.

§. XXXVII.

*Pontificis consilium de extirpando Humiliatorum Ordine.*

*Giuſſ. c. 27.* Summus Pontifex cum illorum, qui necem Sancti Caroli moliebantur, suppliciis tantum scelus nondum satis expiatum crederet, de Fratrum Humiliatorum Ordine penitus extirpando consilia agitabat, quamvis Hispaniae Proceres sibi obſtituros prævideret: præprimis ergo Sacrum Purpuratorum Collegium, ne in re tanti momenti inconsideratum quicquam aggredetur, convocabat, eorumque sententias desuper exquirebat. Verum vix hoc Pontificis consilium Mediolani innoverat, cum illico Sancti Caroli patrocinium imploraretur, quatenus hic fustum hunc eventum præpedire vellet; itaque ex ipsius consilio decretum, Romanam Generalem hujus Ordinis Præpositum

fitum esse ablegandum, atque ab eo, quod omnem reformationis normam pro Pontificis arbitrio acceptare paratus fit, illi promittendum, hancque in rem ab ipsa etiam urbe ad Papam literas esse dandas, quibus etiam suas jungeret Sanctus Archiepiscopus, facta summo Pontifici fide, quod hi Religiosi sine ulla repugnantia ad recipienda strictioris disciplinæ præcepta sese promptissimos exhiberent.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1570.

§. XXXVIII.

*Hic Ordo a summo Pontifice penitus suppressus.*

Generalis Præpositus Romam delatus ad Pii V. Pontificis pedes pro tra-  
tus est, ac ibidem lacrimis ubertim pro-  
fusis eidem Cardinalis, urbisque lite-  
ras porrexit, supplex, ut erga ipsius Or-  
dinem clementia uteretur, facta spe,  
quod imposterum unaomnes sincere, ac  
constanter ad Instituti sui præscripta  
mores suos componere velint. Verum  
Pius V. flecti nescius eidem hæc respon-  
dit: „criminis a tuo Ordine commissi  
„atrocitas, atque exigua emendationis  
„vitæ spes, quam tui Religiosi reliquam  
„faciunt, indulgenter vobiscum agere  
„prohibent, hinc decreta est vestri Or-  
„dinis extinctio.., Itaque firmus in suo  
proposito Pontifex pluribus dilaudata

Giuff. l. c.  
Ciacon. p.

894. i

Thu. l. 50.

Bullar. t. 2.

Constit. 119.

Pii V. fol.

168.

N n 5                    Sancti